Ego Ingelrannus dominus Cociaci. Notifico per hoc scriptum presentibus et futuris. quod bone memorie Radulfus pater meus recognovit cum adhuc viveret. et concessit in perpetuum elemosinas. et disentias quas avus suus. Thomas. et Ingelrannus pater suus contulerunt fratribus Premonstrate ecclesie perpetuo possidendas. et redegit in scripto autentico per hec verba. In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Ego Radulfus dominus Cociaci. Notum fieri volo tam presentibus quam futuris quod amore dei ductus. et desiderio salutis mee. et predecessorum pariterque heredum meorum. recognovi. et concessi in perpetuum elemosinas et disentias. quas avus meus Thomas et Ingelrannus pater meus contulerunt fratribus Premonstrate ecclesie perpetuo possidendas. Videlicet quicquid iuris vel consuetudinis habebat avus meus predictus in loco qui Premonstratum dicitur. remisit fratribus ibidem deo servientibus et servituris. Valles et omnes que Premonstrato adiacentes. et pedum montium sicut valles protendunt. ex quibus fratres partem sartaverant. et residuum se posse sartare asserebant: sed obitum eius quod deinceps non sartabitur. sed nemus vallium et pendentium. ad opus edificiorum suorum et aliarum necessitatum suarum reservabit. Concessit etiam idem dominus meus eis usuagium de mortuo nemore in foresta de Voosi. et pasturam animalibus suis. Decimam quoque ipsius loci qui Rosieres dicitur. et de ipsa terra sua unam carrucatam. que omnia predicte ecclesie fratres in diebus eiusdem avi mei et in diebus patris mei quiete possederunt. Cum autem locum prefatum ampliari cepissent. et per universos fines terre orbis dilatari: pater meus qui locum illum plurimum diligebat. paterne liberalitatis emulator. concessit eisdem loci fratribus. terragium et decimam de Verniis. Terragium de Dengnies. Terragium de Coci villa. exceptis duobus modiis hyemalis annone. que persolvunt ecclesie beate Marie Nongenti. Vivarium etiam cum molendino iuxta eandem villam videlicet Coci. Feodum quoque et partem decime de Vassen. Remisit etiam eis wionagium in omni loco terre sue. quod ab alienis accipiebatur. nisi de re quam emerant. ut iterum venalem exponendam deferant. Ego itaque qui beneficia et elemosinas avi mei et patris mei minuere non appeto. neque servientes deo super elemosinis sibi collatis vexari desidero: ea que predicta sunt benigne eis recognovi et concessi. et quod ea in pace faciam possidere promisi. Unde volo quod servientes mei et heredum meorum de hiis omnibus pacem eis ferant. Quod si per quamcumque occasionem iniuriam eorum ceperint. ut ad me ea deferant. sive adducant apud Cociacum. ut iniuria sibi [illegible] suo. dum ei recredant usque ad reditum meum: et tunc mihi notificabit. et ut res pacifice et rationabiliter valeat terminari. mittam si voluero ad veritatem cognoscendam. Volo enim ut pax eis conservetur. et ut servientibus meis non ingerent. Quia non moleste ferebam quod tot nove vie vel abiectis. ut ab aliis fiebant in foresta mea. vias eis assignari feci per quas bona eorum libere et quiete adducunt poterunt et reducunt. Videlicet viam per Aulers. viam per longum buellum. viam iuxta Rosieres. viam per septem vallem. viam que ducit Crispiacum. et que ducit ad sanctum Nicholaum. et que ducit per Broienciurt. et que ducit versus Anisiacum. Has vias concedo eis et quas karri eorum [illegible] et karreris. Quia quoque et ea que predicta sunt. et omnia que de feodatis. et hominibus meis [illegible] posse meo tempore huius scripti tenuerunt. benigne eis concessi. ipsi villanice dederunt in advocatia sua de Sorni: salvis redditibus. et possessionibus eorum. et omnibus que ibidem habent iusticiam eiusdem ville. Ita sane quod eum quem sibi maiorem in eadem villa constituent per singulos annos. ad querendos et recipiendos redditus suos. liberum habebunt ab omni tallia. ab omni exactione et requisitione. et si forisfecerit: per abbatem Premonstratensem emendabit. dum nollet per me non emendaret. Convenit autem inter me et ipsos quod advocatia illa nunquam alienabitur a domino de Coci. sed quicumque dominus de Coci erit advocatus de Sorni. Ut quoque hec concessio predecessorum meorum. et mea rata et inconcussa perpetuo prefate Premonstrate ecclesie permaneat. presenti scripto. et sigilli mei appositione et hominum meorum qui interfuerunt annotatione feci roborari. Actum Lauduni. Anno Incarnationis dominice. . c. lxx. viij. presentibus hominibus meis. Radulfo de Hussel. Radulfo Cane hectore. Symone de Amegni. Petro Camerario. Guidone de Sancto Paulo. Postmodum autem cum presens scriptum facerem confirmari. recognovi item apud Coci cum coram istis. Petro Capellano meo. Bernardo de Foro. Roberto maiore de Coci. et Mauberto servientibus meis. Ex parte autem domini Hugonis Premonstratensis abbatis affuerunt cum eo. Willelmus abbas de Carrono. Ellebaudus abbas loci restaurati. Symon. Hermannus. Willelmus. fratres Premonstrati. et Sacerdotes. Post mortem denique predicti patris mei. Ego Ingelrannus ad quem ratione primogeniture ipsius devoluta est hereditas. requisitus a prefate ecclesie abbate et fratribus. omnes prescriptas elemosinas. et disentias. ad exemplar felicis memorie R. patris mei benigne recognovi. concessi. et confirmavi. Premonstrate ecclesie possidendas. Ut autem concessio et confirmatio huiusmodi firma et stabilis perseveret. presenti scripto in perpetuum valituro. Sigillum meum feci imprimi et apponi. Actum anno ab incarnatione domini. Millesimo. Ducentesimo. Septimo.